

828  
II m  
1213

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

Typis CHRISTOPH. FLEISCHERI.





JO. ANDR. GLEICHI,

Conc. Aul. Elect. Sax.

HISTORIA  
NUMISMATUM

SUCCINCTA,  
IMPRIMIS DE QVIBUSDAM

NUMMIS  
OB VICTORIAS NAVALES,  
OLIM A TURCIS,

*cl̄ lb̄ LXXI. D. VII. OCTOBR.*

ET NUPER A GALLIS,

*cl̄ lb̄ XCII. D. XIX. & XXIX. MAIL.*

DEPORTATAS,

CUSIS,

EX ARGUMENTIS VETERUM

ILLUSTRATA

ET

AD MULTORUM DESIDERIA

CUM FIG. ÆNEIS

IN LUCEM EMISSA.

*A. O. R. cl̄ lb̄ XCIIIX.*

---

LIPSIAE,

Sumptibus HÆRED. GROSSIANORUM.

Typis CHRISTOPH. FLEISCHERI.

JO. ANDR. GLEICH

COND. AUL. BIBL. 24

HISTORIA

NUMISMATUM

SUCCINCTA

IMPRIMIS DE QUIBUSDAM

NUMMIS

OB VICTORIAS NAVALES

OLIM A TURCIS

IN D. XXX. D. VII. OCTOB.

ET NUPER A CALIIS

ED. P. K. A. D. K. K. K. M. M. M.

DEPORTATAE

1793

EX ARGUMENTIS VETUSTI

INSTRUMENTI

AD MUTUUM DESIDERIA

CUM RIG. A. B. S.

IN BOGEM ENISSA

N. O. R. C. P. X. C. I. X.

1793

Samuelis H. A. R. E. D. G. O. S. T. I. A. N. O. R. U. M.

THE CHATKOVIA LIBRARY





B. C. D.  
BENEVOLO LECTORI  
DEI GRATIAM ET PACEM

P.  
JO. ANDR. GLEICH.



Ræfens labor, qui jam in lucem venit, tu-  
isque, *Benevole Lector*, eruditis ac benevo-  
lis subjicitur oculis, collectus & conce-  
ptus est, cum adhuc in Academia Vitem-  
bergensi essem, quem nunc Amici qui-  
dam à me postularunt. Postquam enim  
ante quadriennium fermè, *de victoria*  
*Navali Christianorum ad Echinadas olim*  
*parta* politum & ingeniosum carmen *Micheæ Ubiseri*, poëtæ  
CL. edendi occasio sese mihi Torgæ 1694 offerebat, adjicie-  
bam *de navigatione veterum & insignioribus quibusdam Classibus*  
aliqualem dissertationem. Placuit iste conatus eruditis corda-  
tioribus in Saxonia non tantum, sed & aliis etiam exteris, adeo  
ut diversi Excellentissimi præsertim in Italia Viri illud scriptum  
benevolè susceperint, ejusque & in literis & imprimis in *Bi-*  
*bliotheca Volantis Cinelliana Scanzia XIII. Romæ 1697.* impressa,  
mihique nuper admodum transmissa, plus vice simplici hono-  
rificam mentionem fecerint. Ne igitur ingratus essem hospes  
& hanc benevolentiam brevi aliquo monumento remunera-  
rem, constituebam nummum illum rariorem æneum, benè  
tamen eleganterque fabricatum, qui de eadem victoria ageret

& ad me fortè fortuna venisset, cum aliis publici juris facere, & ut eò melius inter omnes distribui possint ære depictos præsentare, & brevi simul oratione historiam Numismatum & illustris hujus victoriæ summam recensere. Adjeci etiam ex recentiori historia idem fermè exemplum navalis victoriæ, quam incluti Angli & Batavi 1692. a Gallis Turcarum sociis & confederatis deportarunt, ut posteritas ex monumentis hujus & superioris ævi legere aliquando possit specimina divinæ providentiæ & inopinati auxilii ac liberationis ab hostium malefactorum machinis. Plerumque enim impendimus operam nostram in Veterum eruenda historia, satis enucleata, & in historia patria quandoque hospites sumus. Finem facio Sermonis hujus *Constantii Landi*, Complani Comitis verbis; quibus utitur in *Selectior. Numismat. Expositione* pag. m. 101. Lugd. Batav. 1695. *Boni igitur consulat Lector hunc laborem nostrum, quem nunc suscepimus, in exponendo hoc Numismate, præter institutum nostrum, quod si quis ex antiquariis doctius enarraverit ac interpretatus fuerit rectius hoc numisma, ego & ei habebò maximam gratiam, quod aliquid amplius ab eo didicerim, & quod illustriora reddita fuerint, quæ ab aliis non sat rectè intellecta, nondum suam claram lucem receperunt. Vale.* Dab. Dresdæ Ips. Cal. Maii 1698.

SECTIONO

# SECTIO I. GENERALIS DE HISTORIA NUMISMATUM.

§. 1.

**Q**UAMVIS rerum omnium origo, præter ea, quæ in divinitus inspirato Canone Scripturæ nobis manifestantur, dubia plerumque, maximisque difficultatibus involuta est, uti vel ex unico *Polydori Vergilii*, de inventoribus rerum, scripto patet. Placuit tamen jucunditatis ergo quædam in genere afferre lectu haud indigna, quæ de historia numismatum hinc inde à nobis observata sunt.

§. 2. Hoc quidem negari non potest auri sacram famem apud homines à primis quasi incunabulis esse, postquam terrenarum rerum amor plurimorum animos post lapsum occupavit, ut Midæ exemplo sæpius optent omnia commutari in aurum, *Eccles. V, 9.* Feliciores sunt illi, qui Christo verè nomen dederunt, rebusque terrenis benè pensitatis, iisdem moderate utuntur, *1. Cor. VII, 30. 31. 1. Tim. VI, 17. Psal. LXII, 11. Zeph. I, 18.* Et alterum & ineffabilem divinorum bonorum thesaurum quærunt *Matth. VI. 19. 20. 21.* suaque sorte & demerso præterea contenti sunt, *Prov. XXX, 8. 1. Tim. VI, 6. 7.* Hinc *Phocylides* conqueritur pluribus in perniciem opes & bona temporalia cessisse:

*Aurum atque argentum damno est mortalibus, aurum  
Dux scelerum, vitæ pestis, rerumque ruina,  
O utinam clades non delectabilis esses  
Te propter fiunt raptus, homicidia, pugnae,  
Eratribus infensi fratres, natisque parentes.*

Quorsum & *Propertii* illud:

*Aurea nunc verè sunt Secula, plurimus auro  
Venit honos, auro conciliatur amor.  
Auro pulsa fides, auro venalia fura,  
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.*

*Horatius* in eandem sententiam descendit *Libr. Serm. II. Satyr. 2.*

--- --- *omnis enim res  
Divitiis parer, quas qui construxerit, ille  
Clarus erit, fortis, justus, sapiens, etiam Rex.*

Difficulus proinde & non nisi ærumnis maximoque dolore quotidie animæ eorum abripiuntur in morte, qui bonorum hujus mundi affluentia instructi, tanquam laqueis & catenis constricti fuerunt, Sir. XLI, 1.2.

§. 3. Simples olim fuisse commutationes rerum apud Veteres nemo in dubium vocabit, antequam è cavernis terræ effodere metalla didicerunt homines. Adeò ut vel cibo ac potu, aut rebus esculentis laborem compensarent, aut pecoribus commercia instituerent. Id quod vel ex ipso sacro codice liquet, Gen. XXIX, 15. 18. XXX, 31. 32. XXXIIX, 16. De Trojanis idem affirmat *Homerus* l. 7. Iliad. ad fin. Unde aliqui *pecuniam* derivarunt a *pecu* s. *pecoribus*, uti *Salmasius* ad *Lampridium*, & *Scaliger*, quoniam divitiæ Veterum in copïa pecudis constabant, *Augustini* arbitrio de *disciplina Christiana* c. I. vel quia olim pecudis effigie notabant nummos. Ita legimus apud Athenienses nummos figura boum signatos fuisse, in *Macrobii* L. I. *Saturnal.* c. 7. & *Servium* Regem Romanorum, qui primus ex illa gente æs signavit, pecudis ei notam impressisse *Plinius* auctor est.

§. 4 Rude verò æs initiò distribuebatur, absque ulla figura notatum; Hinc pensari potius quàm numerari solebat. Mentio itaque injicitur non semel ponderis pecuniæ apud sacros profanosque Scriptores, ubi nondum aureorum, nec sestertiorum aut talentorum nomen invaluit. Unde militibus stipendia dividebantur ad stateram, *Varronis* testimonio de *Leg.* L. XIV. & *Stevechii* ad *Vegetii* L. II. c. 29. Gen. XXIII, 16. Exod. XXII, 17. *Jes.* XXXII, 9.

§. 5. Probare quidem aliqui ex *Josepho* voluerunt, quod nummi originem ducant ab ipsis hominum incunabulis, quia Cain, primi parentis infelix primogenitus, multitudine *χρημάτων* h. e. pecuniarum congregata, ex præda & rapinis, domum auxerit. vid. *Rennerus Budelius* *JC. de monetis & re nummaria*, L. I. c. II. p. 12. Quasi verò vocabulum *χρημάτων* non secus ac pro pecunia strictè sic dicta accipiendum, & non pro omnibus rebus quibus utimur usurpari possit. Ejusdem farinae est quod *Albericus de Rosate* in l. 1. num. 1. ff. de *Contr. empt.* & in *Dictionario* suo, in verbo *moneta*, recenset, se reperisse in quadam scriptura cujusdam magni Religiosi, ordinis fratrum Eremitarum super *Passione Christi*, quod illi 30. denarii argentei, quibus *Judas* tradiderit *Christum Salvatorem*, fuissent primi fabricati denarii in mundo, quos *Thares pater Abrahamæ*, optimus faber, ad petitionem Regis *Ninivæ*, *Nini*, filii *Beli*, fabricavit, qui deinde per multas manus pervenerint ad *corbonam Pontificum Judæorum*. vid. *Auctor Dialog. de Passione Domini* apud *Anselmum*. *Matthæus de Afflictis*



*Ætis in Pralud. ad Constitut. Neapol. To. II. tract. L. 7. c. 23. n. 10. Proffer  
Stellartius in Fundaminibus ordinum p. 87. Hinc rectè & pro more suo  
eruditè magnum rei literariæ decus Dn. Jo. Christoph. Wagenfeilius in eleg.  
diff. de Re monetali Veter. Roman. c. III. p. 14. inquit: Intere à loci certum  
est, ignorare Judæos Tharæ nummos, ab Abrahamo aut ejus filio aliquos  
cufos esse, constans illorum opinio est. Unde in Talmud Bava Kama in hanc  
sententiam legitur: Nummi Abrahami ab una parte habebant formam  
Senis & Anus, ab altera Juvenis & Puella. Ibi glossa R. Salomonis Senem  
de Abrahamo, Anum de Sara, Juvenem de Isaaco & puellam de Rebecca  
capere nos admonet. Atque (pergit Wagenfeilius) ejus commatis num-  
mus a nobis quoque possidetur. Idem dicit etiam, ante diluvium univer-  
sale vitam agentibus incognita fuit moneta, frustra que ejus inventorem qui-  
dam prædicant Cainum.*

§. 6. Corrafam deinde æris argentique massam in reconditis quon-  
dam cophinis & sportellis asservabant, unde *fisci & ararii* nomen venit.  
Pecunia verò publica, aut Viduarum & pupillorum, templis committe-  
batur, quia sacra & inviolata ista habebantur loca. Divitiæ totius Græ-  
ciæ in Delo insula reconditæ erant. Romani verò in æde Saturni pecu-  
niæ asylum habebant, & quidem eam ob causam, quasi is primus num-  
mos signasset, *Tertulliano* id animadvertente *Apolog. adversus gentes*  
c. 10. Sed & in tumulos deponebant pecuniam securitatis ergò, ob sepul-  
chorum inviolabilitatem. *Josephus Antiqu. Jud. L. I. c. II. Curtius L. X.*  
*Rosin. in antiqu. Roman. L. VII. c. 31. seqq.* Theodoricus verò Rex Italiæ  
aurum & argentum, quod more gentium in sepulchris mortuorum erat  
reconditum, depromi jussit, ut monetæ inserviret, dicens: culpæ genus  
esse inutiliter relinquere in abditis demortuorum, unde se vita sustentare  
possit viventium. *Keckermannus Curs. philos. disp. 31. Quest. 20.*

§. 7. Æreos nummos usurpasse veteres exinde constat, quia *erosa*  
pecunia vocatur l. 102. *de solut.* Hinc in Legibus *æris* nomine omne  
nummorum genus continetur. l. 159. *de verb. signif. l. 26. in fin. de pignor.*  
*act.* Et *Seneca de benef. L. V.* Æs alienum habere dicitur, & qui aureos  
debet, & qui corium forma publica percussum, quale apud Lacedæmo-  
nios fuit. Romani æreos initio habuerunt nummos, quos *Servius Tullius*  
percussit. Difficilioribus autem obsidionum, bellorum & calamitatum  
temporibus stanneos, ligneos, chartaceos exposuisse nummos. *Kecker-*  
*mannus* putat *disp. XXXI. Curs. philos. Quest. 20.* Spartani ex institu-  
to *Lycurgi* abrogabant aurum omne argentumque & ferreos nummos  
substituēbant. vid. *Plutarchus in vita Lycurgi.* Quales & *Clazomenios*  
usur-

usurpasse *Aristoteles* scribit L. II. Oecon. c. 1. Tartaros Catharinos chartaceos quondam circumtulisse nummos quadratos Regisque sigillo munitos *Arniseus* refert L. II. de Jur. maj. c. 7. quos ubi usu nimio absumi cœperunt in aulam referre & pro vetustis novos recipere soliti sunt. Apud Spartanos corium nummorum usum habuisse *Seneca* refert L. V. de Benef. quos imitavit *Fridericus II.* qui dum argentum expectaret, illius loco corium militibus distribuit, quod una ex parte imagine sua, ab altera aquilæ signavit. *Arniseus* L. II. de Jure Majest. c. 7. In Svecia hodiernum cupreos nummos versari, ex illis, qui ad nos deportati sunt, liquet. Quales quoque in Saxonia inferiori, Westphalia, Marchia, ut & Anglia circumferri notum est.

§. 8. Postquam artes deinde magis magisque excolerent homines, signari cœpit pecunia, quamvis multis annis ante Romanorum originem hunc usum apud diversas gentes extitisse prolixè probat *Didacus Covarruvias Vet. collat. numismat. c. 1. ex Polyd. Vergilio de Invent. Rer. L. II. c. 20.* Et ideò signata pecunia *moneta* nomen accepit, secundum *Isidorum* L. XVI. Orig. c. 17. *quod moneat ne qua fraus in metallo aut pondere fiat.* Vel secundum alios, *quod de auctore vel valore moneat.* Nummi vero appellationem vel *ἀπὸ τῆς νόμῳ* derivant, quod lege provisum sit, ut nummus tanquam *σύνδεσμος* quoddam publica forma, qui usum dominumque non tam ex substantia præberet quàm ex quantitate l. 1. ff. de contrab. empt. Vel a numero, quod nummi functio non minus numero constet quàm pondere. Alii a *Numa* Rege Romanorum dictos volunt nummos. Conf. *Cæli Rhodiginus Antiqu. Lect. L. X. 21.* & *Georg. Schönbornerus L. IV. Polit. c. 30. p. 333.*

§. 9. Incerta tamen ætas signaturæ monetarum, ut *Plinius* L. XXXIII. c. 3. *Histor. Natur.* confiteatur: se ignorare quis primum nummum aureum signarit. Cum apud Romanos *Servius Tullius* æreos percuteret nummos, ex una parte lateris geminos, ex altera rostrum navis posuit. Nam quia Saturnum classe devectum hospitio Janus exceperat, & ab illo peritiam ruris edoctus, feram illam rudemque ante fruges cognitas vitam in melius redegerat, regni eum socium fecit, & quoniam navi fuerat advectus, in signando ære, ex una quidem parte sui capitis effigiem, ex altera, navis rostrum impressit, ut quantum in eo esset, Saturni memoriæ consuleret, & accepti ab eo beneficii haud immemor esse videretur. Hanc signandi consuetudinem *Servius Rex*, qui inter Reges primus post urbem conditam signare æs cœpit, rursus introduxit; Propter quod in alex lusa diu post ea tempora, pueri denarios in sublimi jactantes, *capita*  
aut

aut navim, exclamare consueverunt, quod prolixè Jo. Aquila recenser. Tract. de potest. & utilit. Monet. Basi Secunda. conf. Plutarchus in Quæst. Rom. Quæst. 31. Quoniam verò re maximè pecuaria se alebant veteres, Romani etiam prisca, ovis aut bovis, aut suis effigiem insculptam exhibuerunt, qui etiam Suillorum, Bubulorum, Caprariorum ac Porciorum nomina suis imposuerunt filiis. Plutarchus in Poplicola p. 188. & Quæst. Rom. Quæst. 41. Quamdiu verò Respublica Romana popularis existit, Trium Viri monetales nummos pro arbitrio & lubitu suo signarunt, appositis plerumque literis III VIRI A. A. A. F. F. quas literas ita interpretatus est Bodinus L. I. de Republ. c. X. p. 168. Trium Viri auro, argento, aere, flando feriundo. Ebræos verò agni imaginem in nummis representasse aliqui ex Buxtorffio, & Drusio ad Loca difficil. Genes. c. 97. probare voluerunt, uti Balthasar Cellarius asseverat in diss. de moneta §. 30 Jenæ 1639.

§. 10. In Græcia Philippus Rex Macedoniae nummos sua signavit effigie, unde Philippæi dicti, (qualem possideo ipse cum capite laureato) imitatus Persas, qui nummos aureos Darii primum imagine cusos Daricos appellabant, quemadmodum Bodinus vult L. I. de Republ. c. X. pag. 168. Ita passim videmus Imperatorum Romanorum effigies in monetis, quales exhibet inter alios Octavius de Strada in Vitis suis Imperatorum cum effigibus & numismatibus, nec non Caroli Patini in familiis Roman. ex antiquis Numismatibus Paris. 1663. item in Commentar. Numismat. Imperat. à Julio Cesare ad Justinianum. Et quæ passim in Sebastiani Erizzi, Adolphi Occonis, Leonhardi Bartii, Fulvi Ursini, Scriptis lectu digna reperiuntur. Guilielmus du Choul in libello de Veterum Romanorum Religione, castrametatione, disciplina militari ut & Balneis ex antiquis Numismatibus & lapidibus demonstrata. Amstelod. 1686. ea de re quoque egit, & Constantius Lande in Selectioribus Numismatibus Lugduni Batav. 1695. Et quod Græcorum Imperatorum facies spectat Jacobus de Wilde in Selectis Numismatibus Antiquis Amstelodami 1692. Plurimum lucis affert quoque ad historiam Romanam Jacobus Oisellius in Thesauro Select. numismatum antiquorum. Amstelodami 1677. Quorsum spectant Petri Seguini Selecta Numismata antiqua cum observat. Paris. 1684. ut & Jo. Foy Vailant Seleucidarum Imperium ad fidem Numismatum. Paris. 1681. & Petri Mauroceni Thesaurus Numismatum. Venetiis 1683. Antonii Augustini Antiquit. Roman. Hispanarumque in Nummis veterum Dialogi ex versione Andr. Schotti cum fig. Antverp. 1653. & Levini Hulsi Recensio XII. primorum Caesarum & LXIV. ipsorum Uxorum & Parentum ex antiquis Numismatibus. Francofurti ad Moen. 1597. Unde optimus Salvator ex hoc

B

capi-

capite Judæos Imperatori subjectos esse debere convincit, Matth. XXII, 20. De quo *numismate census* peculiarem edidit dissertationem *Marquardus Freherus*, quæ recusa nuper & in Tom. VII. s. ultimum collecta *Biblior. Criticorum* inter Tractat. Bibl. p. m. 1407. seqq. Hinc *Fridr. Aenobarbi ad Ligur. L. 3.*

*Rege figuratam Regis patet esse monetam,*

*Cæsaris & Domino sub Cæsare fulget imago.*

Postquam vero Constantinus M. veram eamque Christianam fidem amplexus esset, monetæ crucis signum imprimi iussit. Temporibus autem sequentibus ipsum Salvatorem cum inscriptione: IESUS CHRISTUS REX REGNANTIUM. vid. *Freherus de remonet.*

§. 11. Sanctos quoque in nummis præsentatos non tantum ex bracteatis constat, sed & aliis. Ita in veteribus Hungariæ nummis aureis reperi *S. Vladislaum*; Hodie vero Mariam infantem in ulnis gestantem cum inscriptione: *Patrona Hungaria*, cernimus. In manibus meis nummus quoque est à Carolo V. cusus, in cuius una facie duo columnæ cum vinculo & diademate, expresso Imperatoris nomine, in altera verò *S. Ambrosius* exprimitur.

§. 12. Inter omnia autem metalla monetæ cudendæ aptissima sunt aurum argentumque, & quia facilius portari possunt & commutari, valoremque in se continent, ut licet moneta esse desinat, res tamen per hoc non prorsus inutilis evadat. Quod imprimis de materia monetarum, *Aristoteles* requirit L. I. *Polit. c. 9.* Argentum apud Romanos signatum esse A. U. 484. (non ut habet *Vulgaris lectio* 585. cui tamen adhæsit *Jo. Aquila* in tract. *de potestate & util. monet.* Bas. sec.) *Didacus Covarruvias* recenset *Veter. Collat. Numismat.* Quod incidit in consulatum *Q. Fabii*, quinque videlicet annis ante bellum Punicum. Aurei verò nummi signari cœperunt Romæ A. U. 546. adeoque 62. annos post argenteorum ortum. *T. Q. Crispino & M. Claudio Marcello* COSS. ante natum Christum 212. anno. De Venetis verò *Agricola* testatur, eos primum à nato Christo 915. aurum & argentum signasse. Valor demum nummorum ex magnitudine olim & pondere æstimatus fuit. Deinde ut ponderandi molestia sublevarentur, nota s. signo impresso definitus fuit. Hinc moneta aptissimum fuit medium ad societatem humanam rectè conservandam, quia commutationes rerum simplicium non absque detrimento utriusque nonnunquam partis fieri solebant.

§. 13. Soli Imperatori & Regibus olim jus cudendi monetam convenit,

nit, unde hoc ad Jura Majestatis meritò refert *Jac. Martini* L. I. c. 10. p. 167. A quibus enim monetæ cudendæ auctoritas dependet, ab illis etiam valor illius præcipuè manat. Sed concessa deinde hæc potestas aliis quoque Principibus & inferioribus Imperii Statibus, imò & civitatibus. Ita legimus in Sacris 1. Maccab. XV. quod Simoni Sacerdoti & Judæorum gentis Principi ab aliis Regibus hoc jus communicatum & ab Antiocho Demetrii filio restauratum & confirmatum fuerit. Quod rectè versu 5. & 6. vertit *Lutherus*: Darum erlasse ich dir alles / so dir die Könige zuvor erlassen haben / und gebe dir Gewalt / eigne Münze in deinem Lande zu schlagen.

§. 14. Species Nummorum apud Græcos, Judæos & Romanos brevi narratione & in compendio descripsit *Matthæus Hostus* Græcarum literarum in alma Viadrina Prof. Publicus, in *epitome de re nummaria veteri* 1570. quam auctoris manu insignitam possideo. conf. & peculiaris *Jo. Seldeni* liber de *Nummis*, in quo antiqua pecunia Romana & Græca metitur pretio ejus, quæ nunc est in usu. Noviss. edit. Lips. 1682. De Denario in specie egit Dn. *Kirchmaierus* ad C. Plin. Sec. H. N. L. 33. c. 3. de *denarii Veter. mutatione* Vitemb. 1687. De Ebræorum nummis pecul. dissert. reliquit magnum Academiae Juliæ quondam decus *Herm. Conringius* Helmestadi 1675. quorsum legendus etiam labor *Joannis Henrici Hottingeri* de *Cippis & Nummis Ebræorum* editus, & quæ habet Illustris J.C. & Splendor Altdorffinæ Academiae Dn. *Jo. Christoph. Wagenseilius* in *Sota* p. m. 574. seqq. Addatur *Henr. Günther Thülemari* tract. de *variis Siclis & Talentis Ebræorum*. Erffurti 1676. *Caspar. Waseri* de *antiquis nummis Ebræorum, Chaldaeorum, Syrorum*. Tiguri in officina Wolffiana 1605. in 4. Conf. Scriptores de *Monetis & Re Nummaria*, *Reneri Budelii* Lib. II. *Alberti Brunii*, *Astensis*, de *augmento & diminutione monetarum*. *Jo. Aquilæ J.C.* de *potestate & utilitate monetarum*, *Martini Garrati*, *Laudensis*, Tr. de *monetis*, *Francisci Curtii* & *Jo. Regnaudi*, *Avenionensis*, de eodem argumento, *Caroli Molinæi*, *Galli J.C.* de *mutatione monetarum*, *Didaci Covarruvie collatio Veterum Numismatum cum his quæ modo expenduntur publica & Regia autoritate percusa*. *Henr. Hornmanni* dissert. de *monetis*. *Francisci de Aretio*, *Jo. Antonii Rubaci*, *Ludovici Romani*, *Nicol. Everhardi à Middelborg*, *Jacobi Menochii*, *Elberti Leonini*, *Jo. Cephali*, consilia de *materia monetarum* cum *Jo. Bodini* argum. de *re Nummaria*, quod continetur L. VI. c. 3. de *Republ.* & consiliis *Mariani Socini*, *Bartholomæi Socini*, *Henningi Godeni* & *Joachimi Mynsingeri* de eadem

materia, uno Volumine comprehens. & edit. Coloniae Agrippinae apud Jo. Gymnicum sub monocerote 1591. in 4to. Legi etiam meretur Jac. Borniti tract. de nummis in Republ. percutiendis & conservandis. Hanoviae 1608. imprimis verò quoad Auctorum cognitionem *Philippi Labbe, Bibliotheca Nummaria*, quae adjecta est Bibliothecae Bibliothecarum edit. noviss. Lips. 1682. 12.

§. 15. Uti vero temere leges bonae mutandae non sunt, nisi fiant campana sine pistillo; ita quoque nummorum probatorum valor non facile quacunque de causa immutari debet. Dicit enim non potest, quanta incommoda in civitates, Rempublicam, & contractus exinde irruant. Propterea saepius pensitandum Philippi, Hassiae Landgravii effatum, daß ein guter Fürst an dreyen Dingen erkandt würde / am guten Wege / am guten Münze / und an wahren Worten. Quicumque igitur privati, cujuscunque Status fuerint & conditionis monetam licet justis valoris nomine Principis cuderent aut signarent, criminis laesae majestatis rei erant, & acerbissimis subiciebantur poenis. Apud Aegyptios enim si qui monetam circumciderent aut adulterinam cuderent, aut pondera vel signa immutarent, aut falsis literis conscriberent, illis manus ambae amputabantur, ut ita quae corporis pars peccasset, etiam per universam vitam poenas lueret, uti ex *Diodoro Siculo Reinhardus König in Theatr. Polit. P. II. addit c. 9. n. 30.* Eandem poenam Henricus I. Angliae Rex falsis monetarius dictitavit. *Cammanus* diff. VI. §. 29. Sveci adulterinam monetam colliquarunt & in falsarios vivos immiserunt, vel in sublimiore trabe circumligatos per totum corpus moneta undique splendente his gulam fregerunt. *König in Theatr. Polit. P. II. c. 9. n. 94.* In Gallia cacabis oleo bulliente plenis injiciuntur. *Schönborner L. IV. Polit. c. 30.* In Polonia qui falsam & adulterinam monetam cudebant, ad bestias condemnabantur, in Hispania laqueo afficiebantur. Jure hodierno flammis traduntur, *König in Theatr. Polit. P. I. n. 174. & P. II. c. 9. n. 92.* aut gladio plectuntur. Prospiciendum itaque Principibus est, ne fraus ulla in moneta fiat. Quam laudem praeter alios deportarunt Romani, quod nullius ferè rei tantam curam & solertiam habuerint, quam rei nummariae probae ad Posteritatem transferendae.

§. 16. Tametsi verò primarius monetam cudendi finis sit, ut ad commercia rerumque commutationes adhibeatur; Cusi tamen deinceps quidem Nummi sunt ad splendorem & gloriam majestatis demonstrandam, quos Germani *Schau-Pfennige* appellare solent, ob *Nativitates* Regum,  
Connu-

*Connubia, Confœderationes, res gestas, & mortem, ut historiæ universæ se-  
ries non ineleganter è nummis deduci possit. Inter hos maximè conspi-  
cui Nummi etiam triumphales, quia pars triumpho erat, quando ob vi-  
ctorias terrâ marique partas inter alia gloriæ signa nummi quoque peculi-  
ares inter milites populumque distribuerentur. De quibus nunc in altera  
Sectione speciali nobis breviter agendum erit.*

## SECTIO II. SPECIALIS

### De

# NUMMIS NAVALIBUS.

§. I.

Certum verò definire annum, quando cœperint navales nummi, ne-  
mo nisi audacissimus poterit. Quidam inter eruditos ad Ægyptios  
confugiunt eosque autores faciunt hujus monumenti, & exinde rem pro-  
bant, quia peculiaris circumferatur nummus argenteus, majoris ordinis,  
aut sine inscriptione, in cujus una parte Isis Ægyptiaca, in altera verò na-  
vis expressa sit. Qualem se vidisse 1669 apud *Bœclerum* Argentorati *Ami-  
cus magnus* ad me scribebat nuper d. 12. April. instantis anni. Ejusmodi  
Nummum inter alios se possidere *Godofredus Grævius*, Syndicus Reipubl.  
Lipsiensis & Bibliothecarius celeberrimus, haud ita pridem coràm affir-  
mavit. Ego arbitròr ideò factum esse, quod Isis exprimeretur in Num-  
mis Veterum Navalibus, quia multum contulisse putabatur ad inventio-  
nem navigationum. conf. de Iside ejusque sacris *Herm. Witsius* in *Ægy-  
ptiacis*. L. II. c. IV. §. 19. p. m. 87. seqq. Eadem fermè ratione quemad-  
modum in Nummis *Domitiani Minerva* Dea galeata exhibetur *navi insi-  
stens* quasi pugnatura, hastam dextrâ attollens & sinistra clypeum tenens,  
ad pedes adstat Noctua ejus avis, cum inscript. IMP. XIX. COS. XV.  
CENS. P. P. P. De Pallade telum tenente *Ovidius* benè L. VI. *meta-  
morphos.*

*At sibi dat clypeum, dat acuta cuspidis hastam:*

*Dat galeam capiti: defenditur agide pectus.*

De Noctua *Fulgentius Mythologicon* L. II. In *Minervæ tutela Noctuam vo-  
lunt, quod sapientia etiam in tenebris proprium fulgorem possideat. Puppi  
navis autem insistit, quod prima Naves invenisse dicatur. Quorsum vi-  
dendus *Aristides oratione in Minervam, & Jac. Oiselius JC. Comm. ad**

*Num. Select.* Tab. 51. p. m. 311. 12. Sed meris adhuc tenebris hæc involuta sunt, quapropter illis firma fides habenda non est.

§. 2. Græci imaginem Navis in Nummis quoque habuerunt, ad denotandam peritiam & potentiam maris. Ita Neptuni Diadematum caput exhibebant retrò eminente tridente. In altero nummi latere *Argo* navis prora exprimitur, cum lemmate: ΘΕΣΣΑΛΩΝ, s. *Thessalorum*. Neptuno enim in divisione Orbis inter fratres, maris regnum relictum fuit, quapropter tridentem tanquam peculiare sceptrum gerit. Unde *Ausonius* in *Mosell.* v. 80.

--- -- Cui Cura secundæ

*Sortis, & aequori cessit tutela tridentis.*

Hic autem in Thessalia divulsis montibus, amni *Peneo* per amœnissima Tempe loca, dedit exitum in mare. vid. *Seneca Herc. Fur.* v. 283. & *Herodotus* L. VII. c. 129. Navis *Argo* in Thessalia est fabricata, nempe *Pagasis*, quæ urbs *Demetrias* postea dicta & quidem à *Pallade*. Hæc navis denique expeditione *Colchica* peracta inter astra collocata. *Hyginus Astron. poët.* L. II. c. 37. *Manilius* L. V. v. 24. Adde quæ suppedabit *Jac. de Wilde* in *Select. Numism. antiqu.* p. m. 93. seqq. Ita præsentatur in nummo æneo M. ΟΤΑΚΥΔΙΑ ΣΕΥΕΡΑ ΣΕΒ. Marcia Otacilia Severa Augusta, cum facie Otaciliæ. In latere adverso Fœmina tunicata, succincta, dextrâ exertâ, læva clypeum tenens, festinans & pede navis rostrum calcans, cum inscriptione: ΣΑΜΙΩΝ. Samiorum. Hæc Marcia Otacilia Severa Philippi Imperatoris uxor fuit, Philippique Agelasti s. Severi & nunquam ridentis mater. Quam Christum coluisse laudant magis quam probant Annalium Scriptores. Possideo ego nummum, in cujus una facie Themistocles Atheniensis nudo capite adjecta epigraphe: ΘΕΜΙΣΤΟΚΛΗΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ exstat. In altera, Victoria proræ navis fluctibus vectæ insistens dextrâ ramum, sinistrâ lauream tenens. Inscriptio est: ΚΑΤΑ ΠΕΡΣΩΝ. Contra Persas sc. Victoria navalis. De qua Victoria adversus Xerxem, Persarum Regem feliciter ex parte Themistoclis & magis prudentiâ quam armis peracta. vid. *Plutarchus* in *vita Themistoclis* ex Interpret. *Herm. Cruseri* p. m. 750. 51. edit. Basil. 1564. Aliud numisma græcum vidi Jovis simile caput & quidem laureatum, ex una parte ostendens, ex altera verò navis rostrata prora exstabat, cum Inscriptio: ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ, maritimam urbis hujus Thessalonicensis industriam indicabat, aut quod addit *Jac. de Wilde* in *Nummis antiquis Selectis* p. 102. n. 71. victoriæ alicujus navalis argumentum. Ita & *Smyrnenses* nummum exhibent, in  
cujus



cujus una facie Smyrna Amazonis turritæ & securigeræ speciem præ se fert, colligatis capillis & exerta mamma. Ex altera pars navis rostratæ conspicitur cum lemmate: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. Smyrnam Amazonem hic nummus exhibet qui nomen urbi dedit. *Strabonis* testimonio L. XI. p. 348. Est autem Smyrna urbs opulenta Ioniæ, sita partim in monte, partim in planicie, cum portu capaci & tuto, in Ægei maris & Smyrnæi sinus ora, quæ *Philostrati* effato omnium sub Sole urbium pulcherrima dicitur. Vid. *Pausanias in Achaic.* p. 108. Hodie adhuc commerciis floret, sed infelici terræ motu 1689. miserè concussa. Navis verò anterior pars in hoc Nummo aut potentiæ maritimæ symbolum aut potius victoriæ veteris indicium, quam Smyrnenfes de Chiis, urbem volucris classe subito invasuris, retulerunt.

§. 3. Apud Romanos triumphus navales Victoribus concedebantur, trophæa erigebantur, & victoriæ ipsæ nummis imprimebantur, quo posteritas exempla sumeret patriam tueri prudentiâ & fortitudine aspectis Antecessorum & Majorum monumentis. *Triumphus navalis* parum differebat à terrestri, & concedebatur Imperatori, qui hostium classem superasset. De Pœnis primus apud Romanos Triumphum egit A. U. CDXCIV. C. DUILIUS Consul. Cujus rei *Florus* meminit in *Epitome* L. XVII. C. *Duilius Consul adversus classem Pœnorum prosperè pugnavit, primusque omnium Romanorum Ducum navalis Victoriæ duxit triumphum. Ob quam causam ei perpetuus quoque honos habitus est, ut revertenti à cœna, tibicine canente, funale præferretur.* Vid. *Polybius, Florus* L. II. c. 1. *Cicero in Catone, Valerius Maximus* L. III. c. 6. *Frontinus Stratag.* L. XV. c. 6. & *Onuphrius Panvinius de triumpho* p. m. 20. C. *Octavius* Calendis Decembribus de Rege *Perseo* navalem triumphum egit. *Vellejus Paterculius* L. I. c. 9. adde si placet quæ diximus in diss. nostra *de navigatione veterum & insignioribus quibusdam classibus*, Torgæ 1694. emiss. c. IV. §. 7.

§. 4. Priusquam verò institui poterat ejusmodi triumphus navalis, Prætor s. Consul navem laurea coronatam mittebat Romam, tanquam victoriæ nunciam. Id quod testatur *Appianus* in *bell. Pun.* de Scipione. Deinde suas victor mittebat naves decoratas spoliis navalibus, vel ipse etiam unâ proficiscebatur; subvehebaturque ad Navaliam, nave maxima totius classis, suæ aut captivæ, eaque splendidissimè ornata. Vid. *Livius* L. XLV. c. 35. Adventantibus Romanos processisse obviam Victori constat ex *Plutarcho*, aliisque, ubi non plebeji modò, sed & Sacerdotes, Magistra-

gistratus, Prætores & Consules id faciebant, ad quos cum appulissent, sistere navim ac in terram descendere solebant. Præter spolia etiam naves palmis decorabantur, uti probat ex inscriptione veteri de *Duilii* triumpho *Schefferus* de *Militia Navali* L. IV. c. 2. p. 265. CLASSESQVE. NAVALES. PRIMUS. ORNAVIT. PALMA. Conf. *Svetonius* in *Vita Vitellii*, c. 10. Porro Senatum adibant & ut sibi triumphare liceret, orabant. Nemo enim triumphum agere poterat, nisi ex Senatus decreto, (*Ciceronis* effato *Orat. II. Verr. V.*) & qui propriis auspiciis rem gessisset, atque docuisset se cum justa classe hostium pugnasse, justamque navium cepisse multitudinem aut demersisse, & justum hostium numerum prostravisse. *Valerius Maximus* L. II. c. 3. & *Livius* L. 37. c. 58. Consules tamen *L. Valerius* & *M. Horatius* victis Sabinis & Volscis primi fuere, qui negante Senatu, populi jussu & autoritate Romæ triumphum egere. *Livius* L. II. Postquam verò impetrata esset à Senatu triumphandi licentia, instituebatur solennitas ipsa. Quæ ita fieri solebat ut primum lictores præcederent, quos sequebantur alii cum cereis, alii cum tibiis, qui modos classicos ac nauticos canebant. Post tibicines tabulæ imaginesque fluminum aut marium, in quibus commissa erant prælia, portabantur, in quibus etiam elementis uncialibus inscriptus navium captarum numerus, urbium expugnarum, in fidem receptarum, tributo effectarum, gentium perdomitarum, Regum devictorum nomina, nec non captivorum arma & spolia navalia, imprimis rostra plaustris vehabantur. *Propertius* Eleg. II. v. 31. *Appianus* Bell. Mitb. *Qvidius* L. II. de pont. el. 1. L. III. de pont. el. 2. *Claudianus* L. III. de Laude *Stilic.* Efferebatur quoque capta pecunia & coronæ dono datæ à Sociis, *Livio* recensente L. 37. c. 59. Hinc *Octavii* triumphum navalem, *Livius* inter inusitados refert, quod sine captivis fuerit & sine spoliis. Curru deinde emineus Imperator sequebatur toga picta aut purpura indutus. Num coronatus fuerit, alii dubitant, alii suspicantur ex *Valerio* L. II. c. 3. apud *Schefferum* de *Militia navali* L. IV. c. II. p. 268. Deducebatur hæc pompa per plateas urbis ad Capitolium, ubi ritè peractis publicis sacrificiis Imperator Diis aliquid dicabat ex spoliis, imprimis rostra *Neptuno* aut *Marti* consecrabantur, & in templis suspendebantur pro concessâ victoriâ. Postea cæteræ naves captivæ subducebantur vel in navalibus, vel in campo Martio. Demum signa & monumenta victoriarum erigebantur spoliis navalibus & rostris plerumque ornata. Imò nonnunquam præter ædes sacras & publica loca privatas etiam domus exornabant navium captivarum rostris. Quod prolixius & secundum

dum ordinem descripsit *Job. Schefferus* l. c. c. ii. integro. Factum proinde existimo, quoniam & suggestus fori rostris exornari coepit, ut rostra Templi etiam aut loci publici nomine venirent apud *Livium* sapius, *Ciceronem*, aliosque. Ferebantur enim pro rostris leges, agebantur causae & conciones habebantur. vid. *Rosinus* in *Antiq. Rom.* Ex iisdem etiam defunctos laudare, priscus mos fuit, quem *Polybius* describit L. VI. conf. *Hoffm. in Lexic. Univers. contin.* Tom. II. p. m. 739. 40. Inter milites etiam & publice & privatim laudatos pecuniam donabat victor, & ornamenta, ut armillas, torques, hastas puras, id est sine ferro, coronas aliis aureas, aliis argenteas, expresso in his & nomine, & hominis præclare gestis. vid. *Panvinius* de *Triumpho* p. m. 7.

§. 5. Sed ejusmodi victorias navales in Nummis quoque exhibebant Romani. Circumfertur *Jani* genuinus Nummus, argenteus & æneus, in cujus una parte *Jani* bifrontis imago, cum lemmate: JANUS BIFRONS. In altera prora navis cum *Herculis* clava, adjecto infra vocabulo: ROMA. Putat *Constantius Landus* in *Select. Numism. Exposit.* p. 1. ideo effectum fuisse numisma illud, quia prisci Latini a pastoria agrestique vita per *Janum* cultiores redditi sint. Quamvis alii sentiant *Janum* 700. annis ante U. C. Italiae Regem primum signa vel coronae, vel pontis, vel navis impressisse monetæ, uti *Dracon Corcyvensis* apud *Athenæum* L. XV. *Dipnosophist.* c. 19. existimat. Quæ opinio firma non est, dum alii ex *Eutropio* docuerunt usum monetæ debere Saturno eundemque in Latium fuga delapsum docuisse *Janum* signandæ monetæ peritiam & modum arandi humum, in cujus rei memoriam

*Bona posteritas puppim signavit in ære  
Hospitis adventum testificata sui.*

Attamen hoc certius, antiquissimos hos esse nummos, qui *Jani*, velut alii volunt *Jani* & *Saturni* invicem adversorum sive versa obvertentium capita exhibent, & hos excepisse bigatos, quadrigatos, ferratos, hosque nummos Imperatorios. Quales *Jani* bifrontis imagine insignitos in plurimis familiis Romanis, *Junia*, *Cornelia*, & *Rubriæ* gentis allegat *Patinus* in *Famil. Rom. ex antiq. Numism.* p. 84. 139. 242. seqq.

§. 6. Quandoque partem tantum sive anteriorem s. posteriorem navis imprimebant nummis. Ita navis proram reperies in *Aburia* gentis Nummis cum inscriptione: M. ABURI MF. GEM. quem ad. A. U. C. CDLXVI. refert. *Patinus* l. c. p. 1. Extat alius M. ACILII GLABRIO-

C

BRIO-

BRIONIS cum eadem figura, qui A. U. DLXIII. de Ætolis triumphavit & Rege Syriæ Antiocho, in quo Xerxes victus, quod ex *Floro* constat. Inter nummos *Domitii* quidam est cum effigie *Antonii* adjecta inscriptione: ANT. IMP. III. VIR. R. P. C. in altera parte prora navis cum lemmate: CN. DOMIT. AHENOBARBUS. INP. Fuit hic CN. DOMITIUS AHENOBARBUS Neronis Imperatoris Proavus qui præfectus Antonianæ Classis fuit, de quo *Suetonius* in Nerone c. 3. vid. & *Dio* L. 48. Sed *M. Antonii* caput simul hic expressum, quia *M. Antonio* classe tradita ejus partes secutus est. *Patinus in Famil. Rom.* p. 100. Quia vero ipse *Domitius* classi præfuit alius de eo nummus cufus, in cujus uno latere navis prora, & trophæum CN. DOMIT. IMP. in altero ejus effigies cum inscriptione: AHENOBAR. Ita Q. ANTONII BALBI nummus ex una parte *Antonii* caput, tanquam Præfecti classis, cum capite conjugis suæ Cleopatrar (uti eam ipse vocat apud *Suetonium*) aut amatricis, habet, prora eminente: M. ANT. IMP. IT. COS. DESIG. III. VIR. R. P. C. In altera parte navis, subjecta litera B. quæ absque dubio familiam Antonii designat, adjectis verbis: PRÆP. CLASS. F. C. vid. *Florus* l. 86.

§. 7. Præterea victoriae navales apud Romanos in nummis designatae quoque fuere *navi agitata in fluctibus constitutaque ad victoriae alatae pedes*, uti *P. Jobertus* e societate Jesu, de *rei nummariae notitia* vult præcept. IX. p. 203. Lips. recus. 1695. In quo libello illud desidero, quod Præcepta sua nullis illustravit exemplis, adeo ut in omnibus ipsi fides habenda non sit, quoniam fastus nimius & auctoritas Gallica quandoque se hinc inde exerat. *Delphinus M. & Neptunus* indicabant victoriam. Ita in Nummo *Agrippæ* ex una parte Neptunus cum tridente in sinistra, in dextra palmam tenens stat cum literis: CÆSAR, DIVI F. designans proelium navale ad Actium. vid. *Suetonius in Aug.* c. 25. Ab Augusto vexillo cœruleo donatus quod Neptunum ipsi conciliaverat sub Neptuni habitu fabrefactus est, docente *Dione* L. 55. *Suetonius* c. 16. in Aug. In alio extat: M. AGRIPPA. L. F. cos. III. cum ejus capite. Altera pars exhibet mulierem vel virum cum loris in navi adnatantibus duobus equis iisque minitans loris, ad tergum adstante victoriola; Adjectum lemma erat: ECORIS HIC OMNIPOTENS. conf. *du Chrol de Rom. Relig. veter.* p. 87. Hic *M. Agrippa* alias *Vipsanius* dicitur, & Tiberii Cæsaris socer fuit, *Corn. Nepos in vita Attici*

*Attici* c. 12. classicam coronam primus obtinuit, *Virgilio* id animadvertente L. IIX. *Aeneid. parte alia ventis* &c. Sic in *Galliani* nummis Equus marinus ex una parte positus: NEPTUNO CONS. AUG. & in alio itidem equus marinus cum his verbis: VICT. NEPT. In *Neronis* Nummis imago plurium se sistit navium, cum Neptuno sedente & delphinem manu trangente, ad denotandam maris tranquillitatem, & quod omnis ira marina sit emollita, cum hac epigraphe: S. POR. OST. C. AUGUSTI. conf. de Portus ostiensis comparatione *Svetonius in vita Neronis*.

§. 8. Indicia victoriæ navalis etiam erant *Trophæa* in nummis *navi exposita*. Ita in nummis *Sexti Pompeji* Neptuni signum rostro navis innixum, atque alia maris imperium indicantia symbola expressa sunt. In alio præter Neptuni cum tridente imaginem, trophæa de maritimis Sexti victoriis, (de quibus *Appianus* & *Dio* legendi,) cum inscriptione: MAG. PIUS IMP. ITER. PRAEF. CLAS. ET ORÆ MARIT. EX S. C. vid. *Patinus in Famil. Rom. ex antiq. Numism.* p. 221. Et in nummo *Domitii* ex una parte trophæum in navi exhibetur: IMP. CN. DOMITIUS. ex altera, ipsius facies, cum epigraphe: AHENOBAR. de quo nonnihil diximus §. 6. præced.

§. 9. Tandem designabatur victoria navalis *pluribus etiam navibus*. Sic in Augusti nummo Neptuni facies se sistit pone tridens infra delphinus, adjecto vocabulo: NEPTUNI. altera pars quatuor triremes monstrat, cum inscriptione: Q. NASIDIUS. Quo victoria contra Sextum Pompejum indicatur vid. *Patinus in Sveton. nummis illustrat.* p. 69. edit. Basil. 1675. Putant quidam Q. NASIDIUM L. NASIDII filium, fuisse, cujus *Cicero* mentionem facit, qui à *Cn. Pompejo* patre cum classe navium sexdecim L. *Domitio* Masfiliensibusque subsidio missus, ut scribit *Cæsar*, atque in ejus rei memoriam nummum à *Nasidio* filio signatum esse. Nisi fortè (quod *Patino* placet *in Famil. Rom. ex antiq. Numism.* p. 187. 221.) quin ipse quoque Q. NASIDIUS Sexti Pompeji classi aliquando præfuit ad eum honorem declarandum hujus modi denarium cudi curavit.

§. 10. Et quis omnes hujus rei species enumerare aut evolvere potest? Nos brevitati operam navantes hic acquiescimus & ad nummos modernos nostros enucleandos, quorum gratia hoc institutum suscepimus, nos convertimus. Ubi pariter aciem navalem conspiciamus vi-

Historiasque exinde non minores elucentes. Sufficit nobis quod cum ipsa Antiquitate Græca & Romana conveniant, divinæque providentiæ & auxilii adversus conjuratos hostes præstiti exempla nos doceant.

§. II. Primus nummus est JOANNIS AUSTRIACI ob victoriam à Turcis superiori ævo. 1571. d. VII. OCTOBR. deportatam, cusus, in cuius una parte *Joannis Austriaci* facies cum inscriptione exstat: JOANNES AUSTRIÆ CAROLI. V. FIL. ÆT. SU. ANN. XXIII. In adversa, tanquam triumphator erectus stat baculo imperiali in columna, cui varia arma & trophæa subjecta, cujus caput Victoria coronat seroto s. corona navali, navalis simul exponitur acies addito lemmate: CLASSE TURCICA AD NAUPACTUM DELETA. uti figura demonstrat No. I. locata in tabula ænea.

§. 12. Postquam Turcarum Imperator Selymus II. ( in serie Imperatorum Turcicorum XIV. vel ut *Bucholcerus* vult, XIII. in *Indice Chronol.* ad hunc annum p. m. 649. edit. Francof. 1612. in 8. ) mense Junio 1571. Cypri metropolin Famagustam ( quæ aliàs Salamina & Tamassus vocatur ) post gravem & funestam obsidionem, deditioe *M. Antonii Bragadini*, Nobilis Venetiani, accepisset, Mustapha Bassæ auspicio, & Nicosiam quoque cum tota insula expugnasset, sibi que universum Cypri Regnum subjecisset, ne totam Italiam confunderet hostis, atque ipsam Romam suo subderet imperio, foedus iniere cum Republica Venetorum *Pius V.* Pontifex Romanus & *Philippus II.* Rex Hispaniarum, factoque consilio foederati illi Principes classem instructissimam subito collegerunt, & sub Ducibus celeberrimis JOANNE AUSTRIACO, ANDREA DORIA & ANTONIO COLUMNA in hostes miserunt, CCIX. triremibus constantem. Ad oram sinus Corinthiaci, vulgò *Golpbo di Lepanto*, convenere utrinque acies & manus inter se commiserunt. D. VII. OCTOBR. Pugna hora meridiana coepta est, & quatuor aut quinque horarum spatio confecta, sed tanta cum strage, ut viginti quinque hostium millia ceciderint; Ita ut victoria omnium quæ in mari conspectæ post hominum memoriam maxima, ex Christianorum partibus steterit. Centum & octoginta naves hostium deletæ, quatuor millia Turcarum capti, & quatuordecim millia è servitute Barbarorum liberati.

§. 13. In hoc navali prælio primarias gessit partes gloriosus & fortissimus Heros JOANNES AUSTRIACUS, qui anno 1547. d. 25. Febr. (velut *Famianus Strada* vult p. 346. d. 24. eodem die quo Carolus Pater,) natus

natus, si Tabulis Genealogicis habenda fides est, quæ Tubingensium nomine insignitæ. Quamvis *Rittersbusius* in Genealogiis suis annum 1545. nobis persuadere velit. Sed prior sententia (eum nimirum 1547. natum esse) ex præsentis nummo confirmatur. Si enim peracto anno 1571. prælio navali XXIV. annorum juvenis fuit, jure meritoque ipsius natalis ad A. 1547. refertur.

§. 14. Exstat porro in nummo nostro, quod CAROLI V. Gloriosissimi Imperatoris filius fuerit; Non genuinus quidem sed ex illegitimo prognatus matrimonio. Plurimi enim Auctorum ex *Barbara Blomberg* natum existimant. Consentit *Lovys Morery in grand Dictionaire Historique* p. 223. edit. Ultraject. 1692. Etoit fils naturel de l'Empereur Charles V. il nâquit à Ratisbonne l'an 1547. Les Auteurs parlent diversément de sa naissance. On a crû qu'une Princesse étoit sa mere, & plusieurs ont même dit, que cette Princesse étoit parente de l'Empereur, D'autres disent que ce Prince l'avoit eu d'une Demoiselle de la même ville de Ratisbonne nommée Barbe Blomberge, & qu'elle mourut depuis Religieuse. Philippus etiam II. Rex Hispaniarum aliquando JOANNI AUSTRIACO dixisse fertur: Qui est vôtre pere? Vous êtes fils d'un Homme illustre; l'Empereur Charles V. est vôtre & le mien. Consentit *Famianus Strada de bello Belgico* p. 346. Accidit forsitan scriptoris incuria quod *Giovannes Sagredo* in Descriptione status Turcici, quam germanico idiomate quidam Angustæ Vindelicorum edidit 1692. p. 244. subtit. Die neueröffnete Ottomannische Pforte L. VII. Joannis Austriaci matrem Madame di Plombes vocavit. Ita enim ille: Es war aber Don Jean de Austria Kaysers Caroli V. Sohn / den er mit einer Deutschen Jungfer Madame di Blombles erzeugt / und zwar mit keinem Apanagio oder Lande bedacht / aber Philippo II. dem König in Spanien zu seinen Gnaden und Schutz sehr wohl anbefohlen. Obwohl man nun das Absehen hatte / daß er sich in den Geistlichen Stand begeben sollte / so hatte er doch keine Neigung dazu / sondern allein zu den Waffen und in Krieg.

§. 15. Filius itaque Naturalis fuit CAROLI V. Imperatoris, quod ex allegatis non tantum testimoniis sed & nummo nostro liquet, ubi expresse additur: JOANNES AUSTRIACUS CAROLI V. FIL. *Homeri* Interpres Iliad. S. quatuor generationis species recensens, γνησίς vocat qui legitimi Romanis dicebantur, νόθς qui è pellice, σκωτίς spurios,

quorum pater in incerto erat, & designabantur S. simplici in Inscripti-  
onibus, uti in *Posthumiorum* denariis observatur, in quibus positum  
S. AFRANIUS. Sed debebat scribi S.P. h. e. sine Patre, s. incerto Pa-  
tre, nati sunt. Quartam speciem *παρθενης* appellat, qui è matre,  
*quæ virgo adhuc credita est, nati.* vid. *Meursius ad Lycophron.* p. 207.  
Et quidem apud veteres Regum Principumque filii nothi, pari cum  
legitimis in honore habebantur, quod præter *Eustathium Servius* docet ad  
*Aeneid. L. III.*

§. 16. Diversis admotus *Joannes Austriacus* actionibus bellicis, in  
nulla autem se tam fortem ac felicem præstitit, quam in illa navali  
adversus Turcas suscepta bello Granatensi confecto. Quamvis enim  
inter tot proceres ac Principes, reique militaris præfectos difficulter  
initio res procederent, & consilia de hoste aggrediendo; Austrius tamen  
coram universo procerum ac Ducum cœtu, ut omnes se ad prælium  
pararent, edixit, & quia non minus sociorum quam Regiam classem cu-  
ræ suæ commissam videret, omnes classes lustravit, ac in ordinem col-  
locavit, ac tandem divino auspicio victoriam obtinuit. Quam ele-  
ganter & prolixè descripsit, *Jac. Aug. Thuanus in Analibus* s. *Historia*  
sui temporis L. 50. à p. 642-670. edit. Lutet. 1609. in 8. conf. *Muretus*  
P. I. Orat. Orat. XIX. p. 174. *Jo. Bapt. Rasarius* peculiarem de ista vi-  
ctoria superiori Seculo Venetiis orationem habuit elegantem, quam  
ante quinquennium *Jo. Fridr. Hekelius* Plaviæ Variscorum iterum edi-  
dit 1693. Victoriæ hujus mentionem quoque fecit *Dionysius Petavius*  
*in Ration. Temp.* p. 507. edit. Paris. 1632. nec non *Cluverus in Epitome Hi-*  
*stor.* p. m. 733. edit. 1640.

§. 17. Ob inauditam hanc victoriam præsens nummus cusus fuit,  
in cujus altera parte navium congressus exhibetur cum inscriptione:  
CLASSE TURCICA AD NAUPACTUM DELETA. Memorabilis om-  
ninò locus fuit, in quo hæc victoria nutu divino Christianis tributa  
ad Echinadas insulas. Famofus ille tractus tot præliis ibidem habitis, &  
quidem ab Actio promontorio Octavii victoria contra M. Antonium  
& Cleopatram Ægypti Reginam parta, quod Ambratium sinum clau-  
dit & non plus quam L. clo passuum ab Echinadibus distat. Leucas  
subest insula saltu ob amorem furentibus saltari solitum, atque aded  
Sapphi morte insignis: inde Austrum versus descendentibus occurrunt Itha-  
ca & Cephalenia quam mox ulterius progrediendo excipit Zacynthus, quæ  
Chelo-



Chelonatam Peloponnesi sinum in Elide spectat freto tantum XXVcIo  
passuum disjuncta, inde per Peloponnesi oram septentrioni versus  
reflexo itinere ad Rhium usque, & inde per Antirrhium ac continen-  
tem objectam adscendentibus interjectum spatium speciem lacus præ-  
bet, in quo sunt *Echinades* ex arena & limo Acheldi omnis taurina  
fronte in Acarnaniam fluentis in eum locum aggestis, enatae, ut veteres  
scripsere, & ab *Echino*, cujus speciem asperitate & sterilitate referunt  
dictae, inter has angustias, ubi & olim Hariadenus Ahenobarbus & An-  
dreas Auria infestis signis diu quasi pugnaturi constiterunt, commissæ u-  
trinque acies. vid. *Tbuanus Historiarum* L. 50. *Naupactus* verò vel *Nau-  
pactum* urbs Ætoliae & Regionis caput est, cui nomen hodie tribuit, in o-  
ra sinus Corinthiaci, apud fauces & Antirrhium promontorium, uti  
jam modò dictum. A *Bajazetbe* olim A. 1499. capta fuit. vid. *Leuen-  
clavius*, aliique Scriptores Rerum Turcicarum. Proinde hæc etiam vi-  
ctoria vocatur à *Bucelino* prælium ad Naupactum. conf. de Naupacto  
*Jac. Sponius in Itiner. Græc.* P. II. p. 28.

§. 18. Erecto autem corpore stat in columna *Johannes Austriacus*.  
Inter trophæa victoribus, etiam columnæ erectæ sunt, & quidem si vi-  
ctoria esset navalis, etiam columnæ erant rostratæ. Ita *Duilio* qui pri-  
mum obtinuit triumphum navalem, columnam rostratam posuerunt,  
*Onupbrio Panvinio* id animadvertente *de Triumpho* p. 20. in qua inscri-  
ptum fuit: SEPTEREMEM. BIREMOSQVE. TRIREMOSQVE. NA-  
VEIS. X. CEPIT. *Schefferus de militia navali* L. IV. c. 2. p. 266. Ar-  
morum subjectio ad trophæum s. columnam victoris denotat domini-  
um in illos obtentum quos devicerat. Præferabantur hinc etiam de-  
bellatorum arma in triumpho victoribus. vid. *Onupbrius Panvinius de  
triumpho*. p. m. 10. Erigebantur etiam Trophæa illis in locis, quibus ho-  
stes victi essent, erantque vel marmorea vel ænea, cum armorum con-  
gerie inscriptionibus & titulis. vid. *Rosinus in Antiqu. Rom.* L. X. c. 29.  
Nonnunquam si materia non suppetebat lapides in ingentem cumulum  
aggerendo, vel insignem arborem excisis ramis, ibique hostium spolia  
statuendo, in memoriam posteritatis fortibus viris pro trophæis erige-  
bant. Arbores has religiosa quadam observatione cultas à prætereun-  
tibus, ac inviolatas diu servatas esse, indeque veterinosas dictas docet  
*Lucanus*. L. I. *Apul.*

§. 19. Nudum porrò victoris caput victoria coronabat ferto s.  
corona. Caput Romani olim non intexere, in urbe incedentes, ne-  
que

scri-  
tum  
Pa-  
atve,  
207.  
um  
et ad  
s, in  
avali  
nim  
lter  
amen  
elium  
m cu-  
col-  
n ele-  
oria  
retus  
ta vi-  
nam  
edi-  
avius  
e Hi-  
fuit,  
ione:  
ilis o-  
ributa  
tis, &  
ium  
clau-  
leucas  
adedò  
Itha-  
s, quæ  
Chelo-

que pilei aut alius tegminis usum nisi extra urbem in peregrinatione  
 novere. Ita namque illi à primis annis capita ad caloris frigorisque  
 injurias perferendas durabant, crebris frigidæ lotionibus & assiduâ nu-  
 ditate domi ac per urbis vicos. Obvelabant autem capita in itinere, in sa-  
 cris, in luctu aut in morte. Nudum proinde s. nudatum caput signum quan-  
 doque libertatis, obvelatum vero subjectionis fuit. 1. Cor. XI, 10. Sic  
 passim in Nummis Romanis victoriam cum ferto adstantem victori cer-  
 nimus. Græci etiam victores suis militumque & nautarum capitibus im-  
 ponebant coronas. Schefferus de *militia navali* L. IV c. 2. p. 272. 75. 78. 79.  
 Corona navali apud Romanos ille donari solebat, qui primus in ho-  
 stium navem armatus vi ascendisset, quasi navium rostris insignis, ut  
 ait *Aul. Gellius* L. v. c. 6. Sed navalem simplicem rostris navium non  
 distinctam fuisse arbitratur *Lipsius* de *militia* Rom. c. 17. L. V. aut certè  
 aliquâ notâ diversam à rostrata. Hæc enim in summo pretio, & non  
 nisi illis data qui navale aliquod magnum decus aut victoriam magnâ  
 industriâ peperissent. Corona verò *classica* majoris momenti erat,  
 cum rarò vel vix unquam illam datam fuisse *Dio Cassius* velit l. 49. in-  
 quens: *Agrippam* coronâ rostratâ aureâ donavit, quod neque ante ne-  
 que postea cuiquam contigit, conf. *Vellejus* L. II. c. 81. *Seneca* de *Benefi-*  
*cis* c. 32. Prolixius de coronis navalibus legendus *Carolus Paschalius*  
 L. VII. de *coronis* c. 4. p. m. 464. seqq. edit. Lugd. Batav. 1671. & *Schef-*  
*ferus*, de *militia navali* L. IV. c. 2. p. m. 272. seqq.

§. 20. Explicatum quoad potiores partes nummum nostrum  
*Jo. Jac. Luckius*, Argentinenfis, in *Sylloge Numismatum elegantiorum*  
 ab anno 1500. ad 1600. hinc inde collectorum. Argent. 1620. p. 238. ex-  
 hibet, sed nihil ex Historia addidit, nisi quæ *Bnucholzerus* habet in  
*Indice Chronol.* p. m. 639. & quod in hujus victoriæ nobilissimæ testimoni-  
 um Colossus Messanæ prope portum ideò è rectus conspiciatur.

§. 21. In hanc ipsam victoriam tres tibi alios exhibemus nummos  
 à Pontifice *Pio V.* cufos, quorum primum ex argento possideo, quem  
 in tabula ænea num. II. reperies. In una parte facies Pontificis cum  
 lemmate exhibetur: PIUS V. PONT. OPT. MAX. ANNO VI.  
 In altera conflictus navium, superius è nubibus introsipientis Dei ima-  
 go cernitur, è manu dextra fulmina emittentis & hostes profligantis  
 cum Inscriptione: DEXTRA. TUA. DOM. PERCUSSIT. INIMIC.  
 In altero Pontificis nummo, qui num. III. in tab. ænea: Iterum con-  
 gressus


gressus navium depictus exhibetur quasi introspiciente Deo cum lem-  
mate: A DOMINO FACTUM EST ISTUD. In tertio, qui Num.  
IV. se sistit inter figuras tabulae aeneae, idem ordo navium, ex utraque  
parte stantium existat cum epigraphe: DEXTERA DOMINI FECIT  
VIRTUTEM.

§. 22. *Pius V.* Pontifex praesentatur in his tribus posterioribus  
nummis, quia foederis initi cum Venetis membrum fuit, maximosque  
sumtus ad hanc expeditionem navalem subministravit. Aliàs *Michaël  
Ghislerius*, Boschensis dictus, neque confundendus cum *Mich. Ghislerio*  
Romano, clerico Regulari, qui prolixum Commentarium III. Tomis com-  
prehensum in *Jeremiam & Threnos* hujus seculi anno XXII. *Gregorio XV.*  
Pontif. inscripsit, quem possideo ex edit. Lugdun. 1623. Solent autem post  
electionem ad Pontificatum rejectis nominibus propriis peculiare & no-  
vum sibi eligere nomen, quod exposcit Cardinalis Diaconus. Vide  
hunc ritum descriptum à *Jo. Fridr. Mayero* in *Tract. de Electione Pontif.  
Romani* p. m. 158. seqq. Holmiae & Hamburgi 1690. Septimo Idus  
Januarii 1566. Cardinalium suffragio Pio IV surrogatus hic *Mich. Ghis-  
lerius*, humili loco natus, non absque gravissimis altercationibus, *Thua-  
no* referente Tom. II. l. 39. *Histor.* p. 434. Natus *Buscopago*, non pro-  
cul Alexandria in Insulibus, *Phuli Ghisleri & Domnae Angeriae* filius.  
Sobriè & moderatè vixit, atque postquam ad Pontificalem adspiras-  
set dignitatem multos magnificos apparatus, inutiles servos, & victus  
splendorem ex aula sua sustulit, atque meretrices imprimis ex urbe ex-  
pulit, & cum tergiversaret Senatus in executione mandati, subirato vultu  
minatus est, nisi castigationem admitterent, se urbe migraturum & ali-  
bi sedem Romanam translaturum. vid. *Thuanus* l. cit. Anxii animi fu-  
isse adeoque perterrefacti, *Cornelius à Lapide* in *Numeros* scribit p. 807.  
ut saepius dicere solitus sit: *Cum essem religiosus, sperabam benè de sa-  
lute anima mea: Cardinalis factus extimui: nunc Pontifex creatus pe-  
nè despero.* Inter res ipsius gestas illud laudabile quod varios Anno  
Pontificatus VI. sumtus adversus Turcas propellendos impendit. Hinc  
ejusdem anni VI in nummo nostro fit mentio. Peculiare etiam festum  
eandem ob victoriam impetratam instituit *S. Mariae de Victoria* animad-  
vertente id *P. Christoph. Ott*, plerumque adulate, in *Roma gloriosa*.  
p. m. 487. Dillingae 1686. Obiit 1572. Calendis Maji morbo nephriti-  
co anno ætatis 62. sepultus in Vaticano sed postea anno 1588. à Sixto V.  
ad S. Mariae Majoris Basilicam translatus. vid. *P. Theodori Petreji*, Car-  
thusia

D

thufiæ Coloniensis alumni Historia Chronologica Rom. Pontific. p. m. 104. feqq. Colon. 1626. Vitam Pii V. habebis Tom. IX. Concil. ejusque res gestas in Compendio apud *Dorotheum Ascianum* in *Mont. Pietatis* p. m. 312. Lips. 1670.

§. 23. Descripsit hos tres nummos Pontificales, *Claudius du Molinet* Canonicus Regularis Congregationis Gallicanæ in *Historia Pontificum per Numismata* p. m. 81. feqq. ex edit. Lutet. apud *Ludov. Billaine* Bibliopol. Reg. In quo Auctore laudanda quidem diligentia in conquirendis & colligendis numismatibus, sed apud plurimos desideratur Historia, qua ratione cusi, quæ interpret esse solet horum obmutescentium doctorum. Reperi & illud in *Molineto*, quod forsitan incuriâ typographi factum, pro DEXTERA DOM. positum DON. in nummo PII V. Sed quod dextræ Domini hæc victoria tribuitur, id jure meritoque fit. In hominum enim viribus nullum planè auxilium positum. Ier. XVII, 5. Ps. CXIIX, 9. CXLVI, 3. Indigitatur autem dextra Dei ipsius omnipotentia & majestas. vid. *Dorscheus* in *Pentadecad. Diss. XIII.* p. m. 447. feqq. Hac dextra Dei victoriam deportat & hostes confundit. Ps. CXIIX, 15. 16. Exod. XV, 6. Ps. XVII, 7. XX, 7. XXI, 9. XLV, 5. LX, 7.

§. 24. Inscriptio alterius nummi: A DOMINO FACTUM EST ISTUD. desumpta videtur ex Ps. CXIIX. 23. add. Gen. XXIV. 50. Dominus enim *Regibus dat victoriam* Ps. CXLIV, 10. Prov. XXI, 31. Judith. IX, 13. Tertiū verò nummi Pontificis inscriptio erat: DEXTERA DOMINI FECIT VIRTUTEM. Quæ cum superiori fermè coincidit. Reperi eandem inscriptionem in nummo votivo Pontificis *Gregorii XIV.* 1591. cuso, saltim in optativa significatione. Cum enim adversus Regem Galliæ Henricum IV. *Franciscum Sfrondatum*, suum ex fratre nepotem, cum copiis eodem anno mitteret Gregorius, exhibitionem vexiliū Ecclesiæ in nummo expressit cum lemmate: DEXTERA DOMINI FACIAT VIRTUTEM. ut de re benè gerenda eum admoneret. In manibus meis etiam est nummus argenteus oblongus Polonicus, in cujus una parte *Michaël* Rex exstat, addita descriptione: MICHAEL. D. G. REX. POL. M. D. L. RUS. PRUS. In altera parte exhibetur Aquila insistentis globo (cui impressum vocabulum: POLONIA) qui fluctibus innatat, Aquila verò respicit ad nomen  superius emicans, ex utroque latere manus gladio & altera sceptro instructa Diadema regium super aquilam expandunt, adjectis verbis: DEXTERA DOMINI FECIT VIRTUTEM.

§. 25.

§. 25. Benè igitur *Jobannes Austriacus* in hac expeditione adversus Turcas stetit, & immortalem nominis famam deportavit, sed missus deinde 1673. adversus Africanos turbidos non minorem sibi paravit gloriam. Vix enim conversis ab oriente in Africam armis, Tunetum Libyci maris Regiam Turcis aufugientibus cepit, Bisertam vi expugnavit, captivumque Amidam Regem cum duobus liberis secum trahens, victor in Italiam rediit. conf. *Fam. Strada* L. X. p. m. 348. In cuius rei fidem nummus cusus qui adventum ejus ad Tunetanam urbem navibus exprimit, Neptuno cum tridente proculcante hostes & submergente illos in fluctibus, cum aliis terra fugientibus, cum inscriptione: VENI ET VICI. Allusio videtur ad Julii Cæsaris actionem qui pernicitatem confectus, in qua Pharnacem fugaverat, Romam significans ad amicum quendam Amintium scripsit tria verba: *Veni, Vidi, Vici*. vid. *Svetonius* in Cæsare, & *Luckius* in *Sylloge Numism.* elef. p. 248. Hoc fortitudinis exemplo præstito petiit *Philippus* Rex Hispaniæ à Pontifice Romano, ut titulum Regis Tunetani Austriaco conferret. Post varias tandem in Belgio expeditiones occubuit in castris non sine suspitione veneni d. 20. Dec. 1578. *Everhardi Reidani* arbitrio in *Annal. Belgic.* L. II. p. m. 27. edit. Lugd. 1633. & *Fam. Strada* L. X. Histor. p. 350. *Morery* dicit eum d. 1. Octobr. 1578. mortuum in *grand. Dictionaire Historique* Tom. II. p. 224. Deploratus à militibus instar Parentis, & honorificè tumulatus, capitique corona imposita uti veteres Principes Burgundiæ Domus tumulari consueverant.

§. 26. Relictis monumentis veterum eruenda paululum nostri instantis ævi Historia. Quorsum spectat nummus argenteus in tabula ænea numero V. positus, qui ex una parte WILHELMI III. R. ANGLIÆ hodierni gloriosissimi caput laureatum exhibet, cum inscriptione: WILH. III. D. G. ANG. SCO. FR. ET HIB. REX DEF. FID. Ex altera parte conflictum navium sistit, superius positus verbis: NUNC PLURIBUS IMPAR. Inferius scriptum: OB CLASS. GALL. AB ANG. ET HOLL. VICT. ET DELET. D. XIX. XXIX. MAI A. clc lcc XCII. Inscriptio circularis:

SIC PHAETHONTÆO TANDEM

MARE SUFFICIT IGNI.



§. 27. Postquam Jacobus II. Rex Angliæ, leges fundamentales Regni evertere, & supposititium filium introducere ac substituere sibi aliquando decrevisset, Status Angliæ & Proceres Regni WILHELMUM, Arausionensem Ducem, sollicitabant ut rebus difficillimis subveniret, patriæque interitum removeret ac fidem libertatemque ipsorum vindicaret. Anglorum votis relicto loco, WILHELMUS d. 26. Octobr. 1688. cum classe instructissima iter in Angliam parabat, sed maris ventorumque tam immodestus impetus huic instituto remoram injiciebat. Sed reassumto itinere d. II. Nov. ejusdem anni res omnis & laudabile hoc institutum meliores habuit successus, secundo enim vento ad pressos pervenit, & d. xv. Nov. ingenti populi lætitia & gaudio in terram continentem cum copiis suis exscendit, occupatisque pluribus urbibus, ut fuga se eriperet clam, Jacobum coëgit, qui diffidens causæ suæ Regnum deseruit, ne capitis pœnam incurreret, quapropter se in Galliam recepit. Hac ratione quod Thronus Regius esset vacans WILHELMO d. 3. Jan. 1689. committebatur prius administratio regni, donec ipse collectis Procerum populique suffragiis d. 21. April. Iam memorati anni M. Britannia & simul Scotia Rex publicè & legitime pronunciaretur. Cum hæc invidio respiceret oculo Rex Gallia, ipsi bellum indixit novus Rex WILHELMUS d. 17. Maji. 1689. Quamvis enim Rex Gallia exauctorato Jacobo subveniret, ut Scotiam retineret, existit tamen WILHELMUS semper victor, & Jacobum cum rebellibus profligavit, totumque Regnum armata manu recuperavit. Rebus deinde in Anglia fermè compositis Batavis suis auxilio venit, remoramque hinc inde terra marique Gallicis fluctibus & motibus injecit.

§. 28. Inter alia verò Heroica facta immortalem nominis deportavit famam, quod d. 19. 29 Maji, gallicam classem fortiter suppressit ac fermè delevit. Gallorum copiae XCVII. navibus vehebantur, auspicio Comitum Estrei & Comitum Tourvilli. Sed Anglorum & Batavorum classis benè etiam munita, Rüsseliique & Alamondei prudentiæ commissa expectabat hostes, ipsorumque d. 19. 29. Maji impetum factum adeò reprimebant, ut aliquot millia hostium caderent, & plurimæ naves supprimerentur ac reliquæ in conspectu Gallorum igni subjicerentur. Primaria Tourvilli navis regius sol dicta & inæstimabilis fermè capta, cum aliis, & insignis ex parte WILHELMI & confœderatorum Victoria deportata, & ingentes adeò Regis Gallia sumtus in restitutionem Jacobi adhibiti uno hoc infelici navali prælio consumti, & spes

& spes omnis decollata in Angliam eum introducendi. Prælium de-  
scriptum prolixè subministrabit continuatio XI. Sic dicta *Der zehnjäh-  
rigen Historischen Relation Leipzig 1692. p. 41. 42.*

§. 29. Hujus celeberrimæ victoriæ monumentum esse potest præsens num-  
mus. Ubi laureatum caput Regis exhibetur, quod laurus Regum & Victorum o-  
lim symbolum fuit, quod satis nobis constat ex nummis Imperatorum Romano-  
rum. Vide quæ *Rosinus* hanc in rem habet in *Antiqu. Rom. & Hoffmannus in Le-  
xic. univers. contin. p. m. 990. seqq.* adde si placet quæ diximus in *neuverfertige-  
ten Medner/ p. 285. 86. 412.* In altera nummi facie super confictum navium in-  
scriptio posita: NUNC PLURIBUS IMPAR. Alluditur hoc lemmate ad inver-  
sum propositum Galli ejusque infractam potentiam, qui leges præscribere omni-  
bus Regibus terræ volebat, adeoque insolentem se efferebat, ut anno 1663. numisma  
emitteret in lucem in cujus una parte LUDOVICI laureatum caput: LUDOVI-  
CUS XIV. F. ET NAV. REX. In altera sol respiciens globum terrestrem cum  
epigraphe: NEC PLURIBUS IMPAR. Hanc potentiam nunc pluribus impa-  
rem fuisse hoc exemplo demonstrarunt fortissimi Angli & Batavi, Deique vin-  
dicis auxilio expulerunt patriæ dulcissimæ hostes d. 19. 29. Maji deletis & sub-  
mersis pluribus navibus, ut rectè inscriptio circularis doceat: SIC PHAETHON-  
TÆO TANDEM MARE SUFFICIT IGNI.

§. 30. In eandem Victoriæ diversi alii extant nummi, quos allegasse  
sufficiat. In peculiari majoris ordinis nummo Sol occidens præsentatur cum in-  
scriptione: SE CONDET IN UNDAS. subscriptio: DELETA AC INCENSA  
GALLORUM CLASSE. A. cl. l. c. xcii. Ex altera parte *Neptunus* propellens  
hostes in mari versantes cum epigraphe: NON ILLI IMPERIUM SED MIHI  
SORTE DATUM. Vidi aliud Numisma in memoriam hujus Heroicæ Actionis  
VVILHELMÏ, in cujus uno latere Rex VVILHELMUS in columna duobus duci-  
bus adstantibus exprimitur, cum lemmate: MEMORIÆ ÆTERNÆ. In altero  
latere victoria & Fama existunt cum Tempore in tabulam scribente, adjecta  
epigraphe: VOTA ORBIS. Infra: CLASSE GALL. AB ANGL. ET HOL-  
LAND. DELETA D. xxix. Maji. 1692. Aliis nummus monstrat Gallum Leonem  
invadentem cum inscriptione: EX UNGUE LEONEM. 1692. PUGN. AD AN-  
GLIAM. In altera parte confictus navium adscriptis verbis: GALLORUM  
CLASSE DELETA d. 19. 29. Maji. Iterum alius nummus exhibet submersas na-  
ves cum lemmate: VERGIT IN OCCASUM. In altera facie urbs flagrans &  
duo Turcæ gementes. Inscriptio est: HEU QUIS JAM MISERIS POTERIT  
SUCCURRERE REBUS. Circularis inscriptio ita sonat: OB DELETAM GALL.  
CLASS. ANNO 1692. d. 29. Maji. MONUMENTUM. Peculiaris etiam hujus  
actionis extat nummus, ex una parte Regem VVilhelmum ostendit, in altera Lu-  
dovicum XIV. Rüffelius & Allamonde profigant. Subscriptio est: PSEUDO-  
NEPTUNO OCEAN. EXPUGN. AD BAR. FL. 1692. Superius scriptum: DI-  
VUMQUE SIBI POSCEBAT HONOREM. Alius nummus Neptunum jacentem  
ostendit cum lemmate: GALLIS OCEANO EXPULSIS A CLASSE BRITANN.  
BATAV.

OK  
Tom  
12/13

BATAV. 1697. In altera parte Ludovicus XIV. à Rüsselio & Allamonde profligatur è mari, cum inscriptione: PSEUDO NEPTUNO MARI EJECTO.

§. 31. Potuissemus omninò alia adhuc victoriarum navalium ex nummis afferre monumenta, sed nostri instituti tantum fuit aliquantisper Historiam *Joannis Austriaci & VVilhelmi III.* amicorum desiderio illustrare. Quapropter Deum etiam rogamus, ut terra marique præterlapso anno cum Gallis initam pacem diuturnam esse finat & VVilhelmum III. M. Britannix Regem omnesque Heroes Christiani nominis conservet, unitatem animis ipsorum inspiret, ne in agone bellicosissimi hujus seculi novi orientur motus. Gubernet naviculam suam Ecclesix orthodoxæ & reipublicæ Christus, quod in nummo, peculiari pietatis Symbolo reliquit superiori seculo augustissimus Elector Saxonix AUGUSTUS, cum enim superiori ævo 1567. ob motus Grumbachianos dulcissima patria in maximum esset discrimen posita, nummum cudi jussit, in cujus una parte Electoris effigies extat, adjecto titulo: AUGUSTUS D. G. DUX SAX. ET. ELEC. In altera navis in fluctibus constituta & undique hostibus simul agitata, Elector in navè stat ad vela Christum crucifixum expansum monstrantia respiciens cum lemmate: TE GUBERNATORE. Eripuit etiam Christi auspicio piissimus & fortissimus Heros ex difficultatibus illis patriam, victoriamque insignem ab hostibus deportavit & tanquam alter Augustus re & nomine quietem publicam restituit. Adsit & nobis clementissimum Numen his calamitosissimis temporibus, anchoram spei ac veræ fidei in nobis magis magisque suffulciat, donec nos ab omnibus fluctibus hujus malitiosi mundi liberet ac in portum salutis cum tripudio introducat, per vulnera JESU CHRISTI.

Amen.

S. D. G.





